



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

32. de charitate increata qua Deus nos diligit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

C A P. 3. *Christus præscriptum ordinem charitatis habuit, sec. modum patriæ, & non viæ.*

7 192. b. **T**Ametsi Christus omnem hominem ut seipsum dilexerit, nec tamen omnes salvi facti sunt: non est tamen ignorandum in eo fuisse charitatem iuxta modum patriæ non viæ, eumque ordinem diligendi implese, qui seruetur in patria, non in via. Quoniam in patria sunt, adeo dei iusticie addicti sunt, ut nihil eis placeat, nisi quod Deo placet: & per hoc tantum salutem illorum diligunt & volunt, quos Deus saluari vult, eosque solos sicut se diligunt. Ita Christus electos tantum sicut se dilexit, eorumque salutem optavit.

D E C H A R I T A T E D E I
qua diligit homines.

D I S T I N C T. Trigesimæ secundæ

C A P. Vnicum.

Deus in dilectione sua, tametsi sit immutabilis, unum tamen altero magis diligit.

AVg. Incomprehensibilis est dilectio dei atque immutabilis, qua Deus in unoquoque nostrum amat quod fecit, sicut & odit quod fecimus. Ideoque cum sit immutabilis, non intenditur, neque remittitur, tametsi hoc magis quam illud diligere dica-

tur. Quod enim rationales creaturas aliquas magis vel minus diligere dicitur, non mutabilitatem charitatis eius significat: sed quod alios ad maiora bona, alios ad minora dilexit: alios ad meliores usus, alios ad minus bonos. Consideratur enim duobus modis dilectio Dei, secundum essentiam, & secundum efficientiam. Non recipit magis vel minus secundum essentiam, sed tantum secundum efficientiam: ut magis dilecti dicantur, quibus ex dilectione ab æterno maius bonum præparavit, & in tempore tribuit: & minus dilecti, quibus non tantum. Inde est etiam quod aliqui quando conuertuntur & iustificantur, tunc dicuntur incipere diligere à Deo. non quod Deus noua dilectione possit quenkam diligere (qui sempiterna dilectione diligit) sed quia æternæ Dei dilectionis incipiunt sortiri effectum, scilicet gratiam vel gloriam. Vnde Augustin.

li. 5. de Trini. cap. 16 Absit ut Deus temporaliter aliquem diligat, quasi noua dilectione quæ in ipso antè non erat, apud quem nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt. Itaque omnes sanctos ante mundi constitutionem dilexit, sicut & prædestinavit.

*dilectio dei nō
si de se duo sunt
modo.*

*Charitas
Dei nō re-
cipit magis
nec minus.*

*Deus non
incipit dili-
gere.*

C A P. Secundum. Reperi non di-
cuntur à Deo
diligere.

DE reprobis verò, qui præparati non sunt ad vitam, sed ad mortem, simpliciter concedendum est, quòd ab ætero illos habuit odio, id est reprobavit, sicut legitur: Iacob dilexi, Esau autè odio habui. *Mals*
Sed non est simpliciter dicendum, quòd dilexit, ne prædestinati intelligantur: sed cù adiectione concedatur, dilexit eos, in quantum opus eius futuri erant, id est quos & quales ipse eos erat factururus.

DE QUATUOR VIRTUTIBUS Cardinalibus.

DISTINCT. Trigesimæ tertie
CAP. Primum.

Quatuor sunt virtutes Cardinales.

Post prædicta, scilicet de virtutibus theologis, de quatuor virtutibus, quæ Principales siue Cardinales vocantur, discernendum est: quæ sunt, Iusticia, Fortitudo, *Lib. 18* Temperantia, Prudentia, de quibus ait August. *de Tri-*
1. Iusticia est in subveniendis miseris, Prudentia in præcauendis insidiis, Fortitudo in perferendis molestiis, Temperantia in coercendis delectationibus pravis. Quæ virtutes Cardinales dicuntur (vt ait Hieron.) quibus in hac mortalitate, & post ad æternam vitam peruenitur: quæ in Christo plenissimè fuerunt & sunt. De cuius plenitudine nos accē-

1. 2
3
4.

cap.